
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
APOPLEXIA HYDROCEPHALICA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
ANDREAS ARMSTRONG,
HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.—NEC NON SOC.
HIBER. MED. SOC. EXTRAORD.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:


EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.

350337

DISSECTATIO MEDICA

ANATOMICA





P A T R I S U O,

P A R E N T U M O P T I M O,


H A S S T U D I O R U M P R I M I T I A S,

A M O R I S P I E T A T I S Q U E

M O N U M E N T U M Q U A M V I S T E N U E,

S A C R A S E S S E V U L T

A U C T O R.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3187812x>

ERRATA.

Pag. 10. lin. 2. pro vera lege vero.

Pag. 16. lin. 8. pro eum lege id.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

ANDREA ARMSTRONG AUCTORE.

ETIAMSI morbus, quem hujus Disserta-
tionis argumentum selegi, medicis olim
innotuit, vix tamen aliquid de eo distincte
scriptis tradiderunt, naturam ejus omnino fere
ignorantes. Recentiores autem, non immerito
operam, huic morbo, diligenter dederunt; et
etiamsi nulla inventa fuisse remedia, in pleris-
que vel exemplis fausta, dolendum est; natu-
ram tamen et causas morbi, atra adhuc cali-

A

gine

gine immerfas, magna ex parte in lucem prodiderunt.

Inter hos certe primus Dr Whytt*, hiftoriam morbi accuratiffime tradendo, medicos, ad ejus veram investigandam naturam, infligavit. Petit † equidem ingeniofus, nonnullos ante annos, multa hujus morbi indicia enumeravit, at minus diftincte et ordinate.

Post Whytt, alii de eo fcripferunt medici, fub variis titulis Hydrocephali Interni, Hydrocephali Acuti, et nuperrime, bene confiderata morbi natura, haud inapte phreniculam appellat cl. Ruff; hic vero nomen apoplexiæ hydrocephalicæ, a fagaci CULLENO traditum, felegi, quippe naturam morbi verifimilem refert, et in ejus opere nofologico, fic definitur, “ Apoplexia Hydrocephalica, paulatim ad-
“ riens

* Observations on Dropsy of the Brain.

† Vid. Mem. de l'Acad. de Sciences, 1718.

“ rians infantes et impuberes primum lassitu-
 “ dine, febricula, et dolore capitis, dein pulsū
 “ tardiore, pupillæ dilatatione et somnolentia
 “ efficiens.” Huic forsan definitioni si non
 nimis prolixum redderet, addi posset strabis-
 mus, et pulsus finem versus citatissimus.

Impuberes, præ aliis, huic affectioni obno-
 xios esse, apud omnes constat, et fortasse æta-
 tem, quæ secundum inter et nonum, aut deci-
 mum, jacet annum, præcipue adortur, non-
 nunquam autem ætate multo proveciores ag-
 greditur; adolescentem quendam octodecim
 annos natum, ego ipse vidi, huic succumbere
 morbo, et non defunt exempla ubi vicesimum
 inter et tricesimum, aut imo quadragesimum
 impetum facit annum.

Vix ullum corporis habitum aut tempera-
 mentum, huic morbo proprium indicare pos-
 sumus, tamenetsi a nonnullis sagacissimis

medicis, eos præcipue afficere dicitur, quibus mens acuta et vivida præ annis fuit, et corpus vegetum et alacre. Labe scrophulosa haud raro concurrere reperitur.

Hæredetarius non dici potest, multa tamen non defunt exempla infantum in eadem domo correptorum, ubi vero nulla morbi vestigia in parentibus aut eorum cognatis, indagari possent; et rem sane mirum, narrat Quinn, nempe omnes ex iisdem parentibus periisse mares, dum incolumes degere puellæ, quod forsan pendeat ex causis morbi excitantibus, illis solum applicatis.

Quod ad accessionis tempus, et durationem morbi attinet, non adeo inter omnes convenit medicos, et præcipue inter cl. Whytt et Fothergill (utrosque maxima fide dignos) discrimen est; hic (Whytt scil.) tardis fere passibus invadere, et per sex vel septem hebdomadas protrahi

protrahi potest; alter vero, vix unquam ad diem vicelimum octavum durare, et plerumque intra diem vicelimum primum finire autumat. Hic imprimis notatu dignum est, morbi progressus in infantibus tardiores esse quam in adultis; et hinc judice Quin, ratio petenda est discriminis inter auctores quorum nunc mentionem feci; Whytt scilicet opinionem de morbo ut in infantibus, Fothergill autem ut in adultis occurrit, formans; in duobus ægrotis, quos nobis contigit videre, hoc morbo correptis, tam dispar fuit ejus durationis tempus, ut neminem latuisse posset, in uno nempe, annos novem tantum nato per totum mensem, in altero vero anno circiter ætatis octodecimo, per dies tantum sedecim, duravit morbus. Nos certiores facit cl. GREGORY *, se morbum invenisse, per tres menses durare, ubi incisio capite ejus natura pro certo apparuit; sed hoc, quantum scimus, rarissime accidit.

Hic

* In suis Prælect. Acad.

His jam præmissis, nunc ad symptomatum enumerationem progredimur, et Whytt secuti in tria dividimus stadia, pulsus varietatibus præcipue indicata.

STADIUM PRIMUM. Incipiente hoc morbo, languet, habescit, et pallidus fit æger; dein afficitur anorexia, nausea, et vomitu, semel bisve in die; de dolore capitis, supra oculos præcipue, et supercilia, conqueritur. Sitis adest, ut et cutis calor; et lingua nunc albescit, nunc vero insigniter nitet, et sæpe morbi finem versus rubedine aphthosa obducitur*. Arteriæ frequentiores micant, et sæpe ad centum, centum et viginti, imo nonnunquam ad centum et quadringinta, in horæ minuto, appropinquant, sicut vult Whytt; testibus autem Fothergill et Quinn, non semper per paucos dies, ineunte morbo, acceleratur pulsus. Plerumque regularis est, et modice plenus. Nunc
urget

* Vid. Whytt on Dropsy of the Brain, p. 12.

urget febris, et calor cutis, sæpe cum genarum suffusione, augetur. Alvus plerumque pertinaciter adstricta est, catharticiis difficillime movenda; modo autem adest diarrhœa cum torminibus. Dolores capitis nunc sæpe cum ventriculi affectionibus alternant, et levamen sibi mutuo ministrant.

Hæc jam enumerata, excipiunt lucis impatientia, et pervigilium. Nasum æger unguibus carpit, dentibus scindet. In hoc stadio minus frequenter apparet strabismus, aut papillarum dilatatio, morbi certiora indicia; sed delirium aliquando ferox, præsertim in adultis, haud raro supervenit.

STADIUM SECUNDUM. Res ita se habere per aliquot dies numero incertos perstant, quum morbus aliam quodammodo induit formam, et quod secundum dicitur stadium, formatur. Nunc pulsus arteriarum, adhuc veloces et æquales,

quales, præter naturam tardi et inæquales evadunt, et quo fere tardiores eo minus æquales, quoad vires ut et ictuum intervalla. Calor cutis, etiamfi pulsus mirum in hunc modum tardescat, prorsus imminutus manet, imo aliquando pauxillum augetur. Omnia fere prioris stadii symptomata adhuc manent, et nonnulla, in pejus ruunt, alia vera nova occurrunt. Oculorum sensibilitas multum imminuitur, et pupillæ dilatantur. Apparet strabismus, et oculis, modo nasum versus, modo extrinsecus, contortis, ex uno duo se videre putat æger; perpetuo luget, et quasi perterrefactus, graves edit gemitus; adhuc somniculosus, nunc prorsus comatosus fit. Alvus adstricta manet, nonnunquam vero dejiciuntur vermes, ægri miseris haudquaquam levamen ferentes. Sub hujus stadii finem ventriculus plerumque ingesta retinet, et æger sibi porrecta avide devorat*.

STADIUM

* Vid. Quinn on Dropsy of the Brain, p. 39.

STADIUM TERTIUM. Pulsus, ingravescente morbo, tertiam et postremam mutationem subeunt, nunc denuo æquales fiunt, sed adeo frequentes et debiles ut vix enumerari queant; semper fere ante mortem, ad centum et triginta in horæ minuto appropinquare observantur. Augentur nunc coma et torpor, et æger difficillime excitatus, pauca tantum parum coherentia verba murmurat. Respiratio lenta et difficilis fit, sæpe præsertim in adultis, stertori apoplectico quam maxime similis. Oculorum affectiones in pejus ruunt, et sæpe una alterave palpebrarum paralytica fit. Pupillæ admota luce etiam vividissima, ne minime quidem sese contrahunt; imo nonnunquam plus dilatari observantur*; sæpe tunicæ conjunctivæ utriusque oculi inflammatae apparent, et in uno exemplo, quod vidit Whytt, sanguis semel bisve naribus esluit. Alvus adhuc adstricta in hoc sæpe salvitur stadio, et torminibus

B afficitur.

* Monro in Prælect. Acad.

afficitur. Genarum altera nunc rubore suffunditur, altera vera pallida fit, et aliquando hic et illic in corpore apparent maculæ rubræ. Deglutitio difficilis fit; urina et fœces in scio ægro redduntur; lingua et fauces rubescunt; et subfultus tendinum, hanc infelicem claudunt scenam.

Hoc fere modo, morbo infeliciter ad exitium eunte, suum absolvit cursum Apoplexia Hydrocephalica; hic vero, ut in omni alio fere morbo, varietates bene multæ quoad signa observantur, quorum præcipua nunc enumerare aggrediar. Ægros interdum videre contingit, quibus per totum morbi decursum, nec vomitus, nec delirium, nec strabismus, nec pupillarum dilatatio occurrit*. Nonnulli sed rarissime equidem, dolore capitis et pulsus varietatibus prorsus immunes sunt. Alii, intermittentibus omnibus morbi indiciis, haud sine fructu

fructu cortice peruviano usi sunt* ; et denique exemplum morbi vidit Pailley, ubi pulsus proximo ante mortem die, tardus et intermittens fuit.

INSPECTA CEREBRA.

IN omnibus fere hujus morbi exemplis, unciæ aliquot humoris limpidi, intra cerebri ventriculos, præcipue laterales, inveniuntur ; copia ejus multum variat, et nunc duas tantum, nunc autem octo, pluresve uncias, æquat ; per raro inter cerebri aut cerebelli superficiem et eorum tunicas, seu meninges uti appellantur, reperitur. Quod ad hujus humoris naturam attinet, calore non coagulari invenit Whytt, fecus ac in effusione hydropica thoracis aut abdominis accidit ; hoc autem acidis fieri posse, comperti sunt Dres MONRO et Baillie ; coloris

B 2

sæpe

* Quinn on Dropsy of the Brain.

sæpe expers est, alias vero sufflavus, alias subru-ber.

Hic autem, ut res summi momenti, ad hujus morbi veram confirmandam naturam, notanda est, hanc effusionem aquosam non semper evenire : et hoc præter alios testantur Quinn et GREGORIUS noster ; vasa vero cerebri tunc multo turgent sanguine, et varia apparent inflammationis signa ; sæpe adhæsiones, duram inter et piam matrem, observantur, veluti in pneumonia, pleuram pulmonalem inter et pleuram costalem, accidit ; et præterea non raro cerebri tunicæ hic et illic crusta teguntur inflammatoria *. Sæpe in variis cerebri, cerebelli, aut duræ matris partibus, tumores, nonnunquam in suppurationem euntes inveniuntur ; unum vidit Whytt in thalamo dextro nervi optici, et alter Paisley occurrit in dura matre, ubi dolor, dum vixit æger, maxime

acutus

* Quinn on Dropsy of the Brain, p. 51.

acutus fuit. Glandulas, pinealem, et pituitariam, sæpe tumefactas conspexerunt Petit et MONRO.

D I A G N O S I S.

In omni morbi, naturam ejus quamprimum statuere, summi momenti est, sed nullo majoris quam in hoc, quippe cui nulla fere profiant remedia, nisi tempestive adhibita. De ejus autem natura, per primos morbi dies, vix, aut ne vix quidem, judicandum est; et variis signis a febre leni, vermibus intestinorum, aut dentitione difficili orientibus, confundi queat.

Si vero lenta febris, nausea, vomitus semel bisve in die, et dolor capitis, leni emetico aut cathartico non alleviantur, aut prorsus amoventur, et præsertim si adest lucis impatientia, hic dirus metuendus est morbus.

Dentitioni

Dentitioni difficili multa sunt signa cum incipiente Apoplexia Hydrocephalica communia; in priore autem alvus facile movetur, in altero fecus accidit; in dentientibus gingivæ rubræ et tumidæ apparent, et infantes ægroti digitos continuo intra ora immittunt; convulsiones porro, quæ primis saltem Apoplexiæ Hydrocephalicæ diebus, vix unquam, hic sæpenumero occurrunt.

Hunc morbum inter et verminationem imprimis difficilis est diagnosi; in verminantibus autem totum dolet caput, et obtuse: alvus plerumque soluta est, et ejicitur mucus; his vero Apoplexia Hydrocephalica laborantibus, dolet una tantum capitis pars, et acute, alvunque pertinaciter adstricta est, rarissime equidem cibos appetunt, et dolor abdominis affectionem capitis sequitur; verminantibus autem sæpe canina est cibi appetentia, et primum afficitur abdomen, dein caput.

His

His igitur attente perpendis, morbum plerumque de quo agitur ab aliis dignoscere possumus: nulla vero superest de ejus natura dubitatio, si signa ei propria, scilicet strabismus, pupillarum dilatatio, et pulsus adhuc frequens nunc tardus et intermittens, compressionem cerebri indicantia sese obtulissent.

CAUSÆ REMOTÆ.

HÆ in Prædisponentes et Excitantes dividuntur.

PRÆDISPONENTES. Labem quandam congenitam huic morbo proclivitatem dare satis verisimile est; quid vero hæc est, nullus adhuc explicavit medicus. Tantum vero pro certo notum est, nempe, labem scrophulosam prædispositionem dare, nam ex viginti et duobus, hoc morbo correptis, undecim manifeste scrophulosas.

scrophulofas, tresque alios signa ejus præbentes, invenit Dr Percival.

EXCITANTES. Has inter multæ, fatis superque obscuræ, enumerantur. Hic autem evidetiores tantum, in animo est notare, et in eas actionem ipsi cerebro directe habentes, et eas indirecte tantummodo aut per reliquum corpus eum afficientes, uti docet Rush, dividimus. Inter primas sunt sequentia; caput diu demissum, ut in nonnullis ludis puerilibus frequenter accidit; ictus capiti ipso ab externo illatæ; et repercussa tinea capitis, unde oritur congestio interna, et cujus unum nobis memorat exemplum GREGORY. Ad secundum vero causarum genus, aut eas quæ indirecte agunt, pertinent febres aut continuæ aut intermittentes, rheumatismus, pertussis, phthisis pulmonalis, variola, rubeola, scarlatina, verminatio, et nonnullæ aliæ quæ minus in aperto sunt;

quicquid

quicquid denique impetum sanguinis caput versus auget causa hujus morbi concitans esse potest.

CAUSA PROXIMA.

WHYTT, nonnullique alii medici analogia judicantes, causam hujus morbi proximam eandem esse, ut in aliis exemplis hydropicis, putarunt. Longe aliam vero de ejus natura opinionem, primus proposuit Quinn *; nempe morbum initio, ex inflammatione vasorum cerebri, oriri; et si hanc opinionem inimus, multorum incipientis morbi signorum, rationem facile reddere possumus, quod non aliter perspicue fieri potest. Ut huic opinioni accedamus, suadent quoque causæ morbi excitantes, quæ caput versus impetum sanguinis augent: ut et ætas, quam plerumque adoritur morbus, nam nunc, (ut

C verbis

* Vid. Thesaur. Med. vol. 4. p. 142.

verbis cl. Rush utar), " The peculiar size and
" texture of the brain, seem to invite the in-
" flammation and effusions which follow debi-
" lity, to that organ in childhood, just as the
" peculiar structure and situation of the lungs
" invite the same morbid phenomena after the
" body has acquired its growth in youth and
" middle life." Hanc equidem ineuntis mor-
bi veram esse naturam, una res, laticis a-
quosi non semper post mortem reperti, ex se-
ipso fere probaret; tunc vero vasa cerebri
multo turgent sanguine, et alia inflammationis
signa apparent. Hinc igitur concludere licet,
effusionem hydropicam, ubi in hoc evenit mor-
bo, inflammationem sequi, et ergo non mali
causam esse, sed effectum; hæc vero effusio
semper fere accidit, et nunc, multorum signo-
rum a compressione cerebri orientium, pro causa
jure habenda est.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

NAUSEA ET VOMITUS,—oriuntur ex nexu profus fere inexplicabili cerebrum inter et ventriculum, adeo ut quicquid unum, alterum quoque mox afficit; sic in omni fere vulnere capitis, cerebrum afficiente, vomitio frequens occurrit. Hic vero afficitur cerebrum, ex aucto caput versus impetu sanguinis, et dein inflammatione: hinc quoque ratio febriculæ in aperto est, nam, ut in aliis inflammationibus, oritur ex irritatione toti systemati sanguifero dato.

CAPITIS DOLOR,—ex nimia vasorum encephali plenitudine et distentione enascitur.

LUCIS IMPATIENTIA ET VIGILIA,—eadem ex causa pendere videntur, nempe aucta sensibilitate cerebri et retinæ, ex eorum vasis san-

guine turgidis; nam quo plenior est aliqua pars sanguine, eo acriori gaudet sensu; sic in phrenitide, ubi adeo vehemens est cerebri inflammatio, hæc signa nunquam non adfunt. Explicationi hujus symptomatis, a cl. Whytt propositæ, non accedere possumus, nempe ex effusione laticis intra cerebri ventriculos laterales, thalamosque nervorum opticorum irritantis, oriri. Hanc causam potius sequeretur visus imminutus; et hoc revera, effusione facta, mox accidit, nam nunc

PUPILLÆ DILATANTUR,—ob nervos opticos et retinam insensiles hac compressione factos; pupillæ vero, tantummodo sese contrahunt, ex lucis stimulo retinæ ipsi prius applicato, et nunc igitur dilatantur.

STRABISMUS—sequitur ex paralyfi quorundam muscutorum oculos moventium; et nunc, e necessario, æger ex uno duo se videre putat,

quippe

quippe radii lucis, non in consentientibus retinæ punctis, impingunt.

Ictus arteriarum, secundo morbi stadio, tardi et inæquales fiunt, ob læsa cerebri, et generis nervosi munera, ex humore effuso: hinc omnes corporis partes, suam omnino fere amittunt irritabilitatem, et ergo non usitatis parent stimulis. Eadem certe est ratio cur alvus difficillime catharticis moveatur, et respiratio tarda fiat.

Dentibus frident, et nares carpent ægri, propter consensum per nervum intercostalem has inter partes et intestina, unde sæpe per morbi decursum dejiciuntur vermes. Alia vero forsitan ratio dari potest, cur nares carpent ægri, nempe siccitas, et inde pruritus, membranæ narium mucosæ, arteriis ejus secernentibus haud ad munera paribus, propter defectum vis nervosæ ad omnes secretiones tam necessariæ.

Omnia hujus morbi signorum, explicatu difficillimum habetur aucta pulsus celeritas in stadio ejus tertio, et jure, nam si in secundo stadio pulsus tardi causa fuit compressio, cur non nunc, aucta compressione, pulsus adhuc tardiores redderet? Autumat Whytt, distentionem, certum ultra modum auctam, cerebri fibras medullofas adeo lædere, ut ictus arteriarum citatiores redderet; sed ut idem, in plerisque aliis morbis ante mortem accidit, communem forsitan in omnibus agnoscit causam, quæ nobis esse videtur postrema, et prorsus mira actio, naturæ, omnes ejus potestates excitantis, ad vitam tuendam.

PROGNOSIS

IN omni fere exemplo infausta est, et quo diutius duraverit morbus eo plus periculi. Ne unum sanare potuit Whytt, et eandem rem
nobis

nobis ingenue, uti solet, fatetur GREGORY; ne Professori etiam MONRO melior fuisse videtur fortuna, nam ex viginti et duobus, hoc morbo correptis, nullos ad sanitatem restituere potuit. Alii vero medici, se morbum sanavisse testantur, et inter alios Professor noster DUNCAN*, sed in casu qui huic occurrit medico, ægro manebat, et adhuc manet strabismus. Se nuperrime morbum sæpius sanavisse dicit Rush.

METHODUS MEDENDI.

QUONIAM, ut supra diximus, hujus morbi natura, ipso initio, tam dubia est, tutissimum videtur, aut emeticum, aut catharticum, prout res postulant, primo propinare; lenis vero esset emeticus, ne cerebri inflammatio si adest, augeatur; inter purgantia autem hydrargyrus muriatus

* In Prælect. suis Clinicis.

muriatus mitis æque huic morbo, ac vermibus intestinorum convenit.

Si vero hæc nil valeant, et instare morbum opinamur, tunc duo confilia medendi indicari videntur:

1mo, Inflammationi cerebri obviam ire ;

2do, Absorptionem laticis intra cerebri ventriculos effusi promovere. Pauca tantum de his nunc dicere restat.

CONSILIUM PRIMUM. Hic regimen antiphlogisticum, uti inter medicos appellari solet, in omni fere inflammatione necessarium, stricte observandum est; quomodo vero hic absolvitur, cuique etiam si adhuc in medicina tyroni, fatis superque notum.

Ad inflammationem et congestionem in capite discutiendam, sanguinis detractio imprimis necessaria videtur, cum ex toto systemate, tum

ex capite ipso. De venæsectionis autem utilitate non adhuc inter omnes convenit medicos, et varias ob causas, nempe morbum infantem et impuberes potissimum adoriri, qui talem sanguinis detractionem ægre pati possint; ob debilitatem, quæ semper per morbi decursum sequitur; et demum propter incipientis mali, quum talis evacuatio tantummodo utilis foret, incertam naturam. Feliciter vero cl. Rush, misso omni timore, nunc modica, nunc autem liberali venæsectione, septem hoc morbo correptos, ad sanitatem restituit. Si igitur medicus tempestive advocatus sit, et præcipue si æger validus et plethoricus, mittatur sanguis e brachio, et repetatur prout res postulent, aut ægri vires sinent. Sin vero aut debilis sit æger, aut morbus per plures jam duraverit dies, et secundum versus appropinquat stadium, omit-
tetur venæsectio, et applicentur utrisque temporibus, vel hirudines, vel cucurbitulæ cruentæ; et profecto etiamsi jam sanguis e brachio missus

fuerit, detrahenda tamen est minor ejus copia, ex capite ipso, admotis hirudinibus aut cucurbitulis cruentis ; quippe sic vasa cerebri sanguine turgida, magna ex parte exonerantur.

Cathartica, in hoc morbo ubi fere semper pertinaciter adstricta est alvus, haud leve prebent levamen, nam actionem totius systematis sanguiferi inflammatoriam minuunt, et fluida, e capite, intestina versus derivant. Horum autem optimus est hydrargus muriatus mitis, nam absorptionem, ut et alvi solutionem, promovet ; sed de eo fusius infra dicemur.

Vesicatoria, omnium consensu, in partium internarum inflammationibus imprimis utilia sunt, et hoc igitur morbo nunquam omittenda : et melius, ut opinamur, applicari possint, sanguine prius localiter detracto, nam nunc eorum stimulus minus nocet. Curentur postea partes exulceratae unguento infusi cantharidum, ut pro-

moveatur

moveatur feri fluxus. Eodem consilio fetacea sæpe nuchæ inferuntur, sed eorum effectus tam tardi sunt, ut, morbo jam inchoato, vix aliquod levamen ex eorum usu sperandum est, valeant vero quantum valere possint.

Hæc præcipua sunt remedia, inflammationem cerebri versus, valentia; forsan caput ipsum refrigerare aqua frigida cum aceto, aut glacie, uti commendat Rush, utile foret; et demum idoneo corporis situ, impetum sanguinis per arterias caput versus impedire, et ejus reditum per venas expedire.

CONSILIUM SECUNDUM. Ad absorptionem laticis intra cerebri ventriculos effusi promovendam, varia commendantur medicamenta ut in aliis hydropis exemplis; et præter cathartica et vesicatoria jam recensita, diuretica et errhina adhiberi solent, vix aliquod vero levamen ex eorum usu sperandum est; et sola superest

spes ex administratione liberali hydrargyri; eum plerumque parum valere putat cl. MONRO, et hoc certe ex ejus experimentis fatis superque constat, nam in viginti et duobus hujus morbi exemplis, hydrargyro frustra usus est *. Non nimis vero certum est, optatos nonnunquam respondisse effectus, ut multi testantur medici; et in exemplo morbi, cujus supra mentionem feci, ut Professori occurrit DUNCAN, æger, salivæ fluxu ex usu hydrargyri prius inducto, convaluit. Nunquam igitur omittendus est, nam semper melius est anceps, quam nullum remedium. Hic vero notandum est, ægros torporem propter totius systematis, eo difficillime affici, copia igitur solito majori, forma pillularum ut et unguenti, adhibendus est.

A nonnullis medicis, in hoc morbo commendatur digitalis purpurea, quæ virtute diuretica tam insigniter pollet, nullo licet cum fructu
quantum

* Vid. *Monro, Treatise on the Brain.*

quantum scimus, etiamsi urinam ipsam moveat *; sed repetita adhuc desunt experimenta ut de ejus utilitate certo judicemus.

* Huic venienti occurrere morbo, quam adstanti sanare, semper facilius est; prophylaxis igitur, si ad hunc morbum appareat proclivitas, vel si in eadem domo nonnulli jam correpti fuerint infantes, summi momenti est; optima vero constat in exercitio modico, diæta levi, laxantium prout res postulent usu, et denique setaceiis aut fonticulis prope caput inferendis.

* Vid. Quinn on Dropsy of the Brain.



EXCUDERANT C. STEWART ET SOCIJ,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.
